Vos onerare nolim, ac puto vobis in ea re
etiam meam consuetudinem notam esse.
Sed tamen et pro benevolentia vestra, et pro
munere vobis gratias ago. Hodie mecum
fuit Cancellarius Pomeranicus rediens ex
conventu Spirensi, qui narravit exitum
conventus satis placidum et paratum esse.
Deus adsit suis Ecclesijs. Iam hic expecta-
mus adventum Principum ducis Saxoniae
Electoris, et Landgravij. Fratris vestri filij
erunt mihi curae, Habent fidelem et ho-
nestum praeceptorem Frisium. Bene et feliciter
valete. die. 26. Aprilis.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo dno Nicolao Amsdorfio
Epo Naumburgensi Viro optimo et
vera pietate Deum colenti suo patrono.

S. D. Reverendissime dne, Adhuc dei beneficio
filij tui recte valent, et mediocriter student,
Mihi, donec abfuit Magister Frisius, exhibuerunt

scripta sua, quae ipsi composuerant, quae mihi
satis placuerunt. Deus adolescentiae studia
provehat et defendat propter suam Ecclesiam.
De Turcis audio, Tyrannum reduxisse exercitus
in Thraciam, et Regem Ferdinandum ite-
rum dimisisse suas copias. Brevi, ut spero,
ad vos cum Ioachimo veniam. Bene et
feliciter valete. die 23. Octobris.

Philippus Melanthon

C. R. VI, p. 95. Reverendissimo dno Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Naoburgensi, eruditione et pietate
praestanti patrono suo cum observantia
colendo.

S. D. Reverendissime dne, gratias ago tibi pro pe-
cunia bibliopolae missa, quam quidem ei ex-
hibui multis amicis praesentibus.
De propositionibus contra Maiorandam editis.
gaudeo tibi eas probari. Cupio enim conser-
sum Ecclesiarum nostrarum tueri, nec volim

simus dissidium exitiale. Et profecto nobis
concordia opus est. Nunc vocant me in
patriam Principes Palatini Dux Fridericus et
et Dux Othenricus, Sed quid Dux Saxoniae
responsurus sit, nescio. Neque tamen opinor,
me profecturum esse, et non libenter inter-
rumpo assiduitatem operarum huius nostrae
Academiae. Bene vale Reverendissime Domine
die 25. Martij.

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Dno Nicolao ab Amsdorff
Episcopo Ecclesiae Naoburgensis eruditione
et pietate praestanti patrono suo.

S. D. Etsi iam acceperam literas tuas, quibus signifi-
cas te Dei beneficio recte valere, tamen
permisi ut Christophorus etiam ad te expatia-
retur, quia praeceptor eorum Magister Martinus
Frisius ex hac vita in aeternam emigratus est.
Nunc de praeceptore alio deliberandum erit.

Hodie sum locutus cum viro docto et gravi
Sigismundo Hungaro, qui in latina lingua ad-
modum diligens est, ut commigret in aedes Frie-
sij, et Scholasticos eius erudiat. Is ostendit
se ante nundinas Lypsicas non posse hac de re
statuere. Interim te quoque deliberare velim,
quid de tuis adolescentibus fieri velis. Bene
vale Reverendiss. Domine, in ferijs Paschatis

Philippus Melanthon.

Reverendissimo Dno Nicolao ab Amsdorf
Episcopo Naumburgensi, eruditione et vir-
tute praestanti Domino suo colendo.

S. D. Reverendiss. Domine. Scio veram et sinceram
benevolentiam mutuam inter D. Lutherum
et te fuisse, ortam utrinque ex virtutis amore,
et pietate. Gratias autem et meo et libero-
rum nomine tibi ago, quod nunc pecuniam